

licæ, inquit, in Sabinis gelidissimæ suctu quodam corpora  
 inuadunt, vt propè morsus videri possit, aptissima Stoma-  
 macho, neruis, vniuerso corpori. **STRUMARVM**  
**MINVIT TVMORES.** Strumæ auct. Egi-  
 neta lib. 4. cap. 33. sunt glandulæ obduratæ quibus col-  
 lum, axilla, inguina occupantur, Græcis  $\Psi\epsilon\upsilon\delta\epsilon\varsigma$  di-  
 cuntur. Nostri etiam scrofulas vulgò appellant fortasse  
 quod his scrofæ, idest porcæ tentantur & laborant. Stru-  
 ma Cornelio Celso, lib. 5. cap. 28. est tumor in quo sub-  
 terconcreta quædam ex pure & sanguine quasi glandu-  
 læ oriuntur. Apsyrus lib. de veterinaria dicit in iumētis  
 appellari  $\acute{\alpha}\delta\epsilon\upsilon\alpha\sigma$ , idest glandulas. Plinius in homine tō-  
 fillas, in sue glandulas vocat, si plura cupis legito Galenū  
 lib. methodi. 13. **AVT NEVRICOS.** Neurici siue  
 Neruici sunt qui neruorū labores patiuntur. **ET IN**  
**ASTY.** Asty siue Astu vt Latini pronūciant, quāuis  
 oppidū quodcunq; significet vt apud Homerum non raro,  
 eius tamen appellatione etiamsi nomen non adīceretur,  
 Athenas accipi receptum est. Vtuntur Terentius in E-  
 nucho, & ibi Donatus. Cicer. de legibus. 2. Æmilius  
 Prob. in Alcibiade, & alii. Vide etiam Stephanum lib.  
 de vrbibus. **ET AD PORTVM PIRÆVM.**  
 Piræeus, portus est, & Emporium Athenarum ait Strabo  
 lib. 9. Dicit & Plin. lib. 4. cap. 12. **TROEZE-**  
**NI NON POTEST ID VITARI.**  
 De hac re Plinius lib. 31. cap. 2. aquarū culpa in Troe-  
 zene omnium pedes vitia sentiunt. Est autem Troezene  
 oppidum Achaïæ. **CILICIAE VERO, CI-**  
**VITATE TARSO, FLVMEN EST**  
**NOMINE CYDNOS.** Cydnus tradente Vi-